

Magnitudo maximæ & minimæ Stellæ, id est Sirii & Alcor, posita à Ricciolo diametro apparenti, observatâ in Sirio 18, in Alcor 4-24, & distantia afferendâ à Copernicanis, si velint parallaxin Fixarum factam, à motu Terræ annuo non excedere 10, & tueri diametrum orbis annui ab ipsis positam.

Auctores.	Magnitudo Ganis majoris.		Magnit. Alcor in cauda Ursæ maj.	
	Sirius habet terra diametr.	Corpus continet Terram vicibus	Alcor habet terra diametros	Corpus continet Terram vicibus
Copernicus	4170	71677713000	1992	4378454048
Herigonius	4350	82312875000	2068	8844058432
Galilæus	4380	8427672000	2092	9155562688
Bullialdus	5300	148877000000	2530	15941277000
Lansbergius	5424	159371956024	2588	17333761472
Keplerus	12550	1976656375000	6000	216000000000
Wendelinus	53200	15056882800000	25380	1767384872000

De quibus videri potest dictus Ricciolus lib. 7. sect. 6. cap. 11. fol. 117.

CAPUT XXXI.

De Cælo seu Cælis, ut & de Æthere, ac Materia Cælesti.

Cælum quid dicatur.

Cælum communiter dicitur: Expansum illud amplissimum, tenuissimum maximèque pellucidum, Telluri nostræ velut orbiculariter circumfusum, siderumque globis lucidis quàm refertissimum Spatium, quod à Telluris & Aquarum superficie ad extimam determinationem excurrit, ibique desinit: Et hæc est communior sententia.

Cæli vocabulum quo-tuplex sumatur?

Cæli autem Vocabulum diversimodè sumitur; Nonnunquam enim intelligitur expansum istud aëreum circa terram in quo nascuntur Meteora; unde, Nubes Cæli dicuntur; Item Volucres Cæli; Manna de Cælo; Cælum serenum; pluviae descendere de Cælo; Deus spiritu (vento) suo Cælos ornavit; Deus obtegit Cælos densis nubibus &c.

Nonnunquam, cujuslibet Planetæ orbis, seu cursus circularis periodicus illius, vocatur Cælum; Ex. gr. Cælum Mercurii, Veneris, Martis, Jovis, & Cælum Saturni. Quando autem dicunt Stellas Cæli, intelligunt communiter superiorem regionem istius expansi, quod etiam Cælum Stellarum seu octava Sphæra appellatur; dicitur quoque Cælum æthereum, sicut Poëta Ovidius canit:

Tot mala sum passus, quot in æthere sidera lucent.

Quos dictos tres Cælos (in Peripateticorum hypothese) sequitur Cælum quartum, Crystallinum seu nona Sphæra, ob anticipationem Æquinoctiorum inducta.

Cælum Crystallinum.

Et denique quintum Cælum, seu Primum illud Mobile, quod credunt omnes Planetarum orbis, ac Stellas simul Fixas, 24 horis ab ortu in occasum rapere; Aristot. lib. 1. de Cælo, cap. 9. definit: Corpus naturale quod in ultimâ universi locatum est circumlacione; quod idem est dicere: Cælum est substantia ultima universi Mundi, circumlacionem sibi vendicans. Videatur etiam cap. anteced. 4.

Primum Mobile quid?

His Cælis adhuc communiter Theologi Pontificii ac Reformati aliud quoddam Cælum Empyreum scil. superaddunt, à Deo naturâ sua ita ordinatum, ut sit sedes & receptaculum Beatorum, de quo sequenti capite.

Cælum Empyreum.

Quid autem Æther propriè sit, non una eademque est Philosophorum sententia: Ab Anaxagora enim accipitur pro ignis elemento; Aristoteles verò de Mundo, hoc nomine significari ait, Cæli siderumque substantiam, hoc est, totam siderum & cæli & stellarum compagem, non quod ignita flagret, sed quod semper motu suo cir-

Quid Æther sit?